



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnium Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXV. Alexandri Papae II. Ad Gervasivm Archiepiscopvm  
Rhemensem. Vt corpus sancti Mennii ab ecclesia sua indebite per  
Catalaunensium episcopum translatum ad propriam ecclesiam  
comminatione ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

## EPISTOLA XXIV.

## ALEXANDRI PAPÆ II.

AD GERVASIVM RHEMENSEM ET SENONENSEM  
ARCHIEPISCOPOS, EORVMQVE SVFFRAGANEOS.

Causam diuortii inter Ra. comitem eiusque vxorem  
vtrique diiudicandam committit.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei carissimo fratri Geruasio Rhemensi archiepiscopo, omnibusque suffraganeis suis, nec non Senonensi archiepiscopo, suisque suffraganeis, salutem & apostolicam benedictionem.*

**M**VLIER ista, præsentium literarum portatrix, apostolorum limina adiens, conquesta est quod ei comes Ra. omnia bona sua abstulerit, eaque dimissa, crimine fornicationis fallaciter obiecto, alteram ducere velit: quod quam sit diuinis & humanis legibus contrarium, fraternitas vestra perpendat. Quapropter studeat religio vestra ipsum conuenire: & si causa talis est, vt ista asserit, redditis propriis bonis, vt ipsa ab eodem recipiatur satagite. Quod si ipse rationi acquiescere recusauerit, vos super eum canonicum deliberate iudicium, quod nos sequentes sanctorum patrum auctoritatem, vbi sententiam vestram audierimus, confirmabimus.

## EPISTOLA XXV.

## ALEXANDRI PAPÆ II.

AD GERVASIVM ARCHIEPISCOPVM RHEMENSEM.

Vt corpus sancti Mennii ab ecclesia sua indebite per Catalaunensium episcopum translatum ad propriam ecclesiam comminatione censurarum ecclesiasticarum referatur.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei Geruasio Rhemensi episcopo confratri dilectissimo salutem & apostolicam benedictionem.*

**Q**VONIAM ad vniuersalem sedem, cui diuina prouidentia præsidemus, lacrymabilis & inaudita ecclesiæ sancti

ſti Mennii querimonia eſt, ablata ſanctiſſima, ſcilicet, eius corporis abſentia deſolata, domibus quoque & ceteris omnibus bonis impie & ſine more denudata, lacrymas nos & Romanam fundere cogit eccleſiam. Vnde fraternitati tuæ rogando curauimus mandare, vt corpus ſanctiſſimi viri ab epiſcopo Catalaunenſium a propria ſede deportatum, & quod lacrymabilius eſt, cruentis armorum militum manibus velut in partem prædæ diſciſſum, ad propria redire, remota omni excuſationis ſimulatione, facias. Euerſionem quoque domorum, & direptionem ceterorum bonorum, ſicut iuſtum eſt, & officium magiſterii tui decet, vt emendare compellas, ex parte beatorum apoſtolorum Petri & Pauli præcipiendo mandamus. Quod ſi ſententiæ noſtræ, imo tuæ iuſtæ deliberationi parere noluerit, virga magiſtratus tui ex auctoritate ſancti Petri ardentiffime feriat.

FRAGMENTA QVÆDAM EPISTOLARVM  
ALEXANDRI PAPÆ II.

*Vilhelmo marchioni.*

Audiuimus quod Henricus Rauennas, dictus archiepiſcopus, niſus ſit te excommunicare: quod quia excommunicatus excommunicare non potuit, apoſtolica auctoritate te tuosque abſoluentes mandamus exinde non curare.

*Episcopis & regi Dalmatarum.*

Si quis amodo epiſcopus, preſbyter, diaconus, feminam acceperit, vel acceptam retinuerit, proprio gradu decidat, vſque ad ſatiſfactionem, nec in choro pſallentium maneat, nec aliquam portionem de rebus eccleſiaſticis habeat.

*Dominico Gradenſi patriarchæ.*

Erubescant impii, & aperte nos intelligant iudicio ſancti Spiritus eos qui in tribus ſacris gradibus, preſbyteratu ſcilicet, diaconatu & ſubdiaconatu poſiti, mulierculas non abiecerunt, & caſte non vixerunt, excludere ab eorum-